

in ipsarum rerum contentione sunt positae ita differ-
 entiae segregantur. ut rerum quoque ipsarum
 natura diuisa est. In omni enim rethorica questione
 dubitatur. an sit qualesit. & propter haec
 an uere uel more possit exercere iudicium. sed si factum
 uel res quas intenditur ab aduersario negatur questio est
 utrum sit ea que coniecturalis questio nominatur. Quod si
 factum quidem esse conagerit sed quia non sit id quod
 factum est ignoretur quoniam uis eius definitione
 monstranda est finitua dicitur constitutio. At si & esse
 constiterit & de rei definitione conueniat sed quale sit
 inquiratur tunc quia cui generi subici debet & ambigitur
 generalis qualitas nuncupatur. In hac uero quaestione
 & qualitatis & quantitatis & comparationis ratio conuer-
 satur. Sed quoniam de genere questio est secundum generis
 formam in plura necesse est hanc constitutionem membra
 distribui. Omnis enim quaestio generalis id est cum de ge-
 nere & qualitate uel quantitate quaeritur facta in duas
 tribuitur partes. Nam aut in praeterito queritur
 de qualitate proposita aut in praesenti aut in futurum.
 Si in praeteritum iudicialis constitutio nuncupatur.
 Si praesentis uel futuri temporis teneat quaestionem.